

Franckesche Stiftungen zu Halle

Conspectus Chirurgiæ Tam Medicæ, Methodo Stahlina Conscriptæ

Juncker, Johann

Halæ, MDCCLVII.

VD18 90812107

Tabula XL. De Ulceribus Callosis.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-197684-

46. Denique mentionem adhuc facimus, quod ulcera vetusta, immorigera & mitiori medicationi non obedientia, diversis quidem nominibus distingui soleant, e.g. *cacoëthea*, *dyssepulotica*, *cbilonia*, id est, labiis prædita, *malum mortuum*, eadem tamen methodo tractanda sint, nempe

- 1) Ad efficacem absterfionem aliquamdiu adhibere convenit oleum *laterinum* vel ung. *Ægyptiacum*, imposito emplastro *Norimbergensi* camphorato.
 - 2) Ad affluxum perenniter avertendum in ambitu epithemata discutientia vel spiritus vini camphoratus applicari debent.
 - 3) Subjungantur denique mundificantia balsamica.
 - 4) Interne adhibeantur, quæ sub *methodo* commendata sunt.
47. *Essentia succini* in affectibus ulcerosis & ad exulcerationem tendentibus est lene remedium balsamicum, quod ad mundificandum sanguinem, & diatheses feri, ad ulcerosas corruptiones vergentes, corrigendas, egregie convenit.

TABULA XL.

DE

ULCERIBUS CALLOSIS.

I. DEFINITIO.

1. *Ulceræ callosæ* sunt vel *simplicia*, quæ rarius occurrunt, vel *composita*, quæ ut plurimum in *venereis* & *cancrosis* ulcerationibus sese manifestant.
2. *Ulceræ callosæ* non confundenda sunt cum *tumoribus edematosis duris*, quæ interdum ulceri superveniunt.

II. SIGNA

1. Circa ulceris labia accrescit callus satis firmus & tenax, verrucosam vel cartilagineam plane substantiam referens.
2. Hic callus progressionem temporis ita augetur, ut accessum ad fundum ulceris non raro impediat.
3. Ulcus tale non solum in fundo sui, verum etiam præcipue sub *callosa* illa substantia impuritatem fermentescentem fovet.

III. CAUS.

III. CAUSÆ.

1. Ulcera callosa *simplicia* plerumque a perversa chirurgica tractatione dependent, quando nempe ulceris mundificationem negligunt & ad consolidationem præmature festinant.
2. Nonnunquam ipse ægrotans in culpa est, dum vel errorem in diætâ committit, vel frigori partem affectam exponit.
3. Ulcera autem *callosa composita* e specifica ulcerosa corruptione oriuntur, quæ labia ulceris, nondum sufficienter mundificata, magis inquinat, & hinc sensum ardoris infert.
4. Hic sensus ardoris provocat copiosius humores, qui ibidem obhærescentes a natura per errorem in talem concretionem firmantur.

IV. PROGNOSIS.

1. Quam diu *callus* talis in ulcere quodam manet, nulla genuina consolidatio expectanda est. Necessaria enim mundificatio, quæ consolidationem præcedere debet, fieri non potest.
2. Quando in talibus locis reperiuntur ulcera *callosa*, quæ ad sinuositates suscipiendas apta sunt, *fistulosa* facile ulcera inducuntur.

V. METHODUS MEDENDI ET REMEDIA.

1. Callus ante omnia est removendus:
 - 1) Vel per *emollitionem*, quæ in *minore* occallescentia sufficit. Commendantur in hunc finem emplastrum *diachylon cum gummatibus*, emplastr. *Norimbergense*; item lenientia olea cum vitellis ovi & melle remixta.
 - 2) Vel per *abstergentia fortiora*, quæ in *maiore* callositate requiruntur. Speciali vero efficacia ad callum auferendum laudantur rad. *aristoloch. rotund. gentian. rubr. herb. nicotian.* & præcipue rad. & herb. *hellebori nigri*.
 - 3) Vel per *sepsin moderatam*, quam præstant oleum *laterinum* cum oleo *ovorum*; carbones, *talpæ ustæ*, *as ustum*, *arugo*, *unguent. Egyptiacum*. Ex his pro partis maiore vel minore sensibilitate fiat selectus.
 - 4) Vel per *sectionem*, quæ in callositate dura & rebelle necessaria videtur, præcipue si loci commoditas, & partis minor sensibilitas eandem concedant.

Junck. Chir.

K k

5) Vel

- 5) Vel per *scarificationem*. Ad callum enim majorem removendum hæc, si sectionem excipiamus, omnibus reliquis adminiculis palmam præripit. Nam incisione & scarificatione ejusmodi ulcera fistulosa & callosa, alias insanabilia, brevi temporis spatio sanantur. Septica autem mitiora callum non offendunt, & fortiora affluxum augent.
2. Eodem tempore, quo callus per remedia sive emollientia, sive fortiora abstergentia, sive septica absumitur, in *fundum* ulceris, quantum fieri potest, mundificantia immittantur.
3. In *ambitu* autem ulceris conveniunt discutientia & resolventia.
4. Facta calli remotione & ulceris mundificatione ad consolidationem balsamicis progrediendum est.

VI. CAUTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.

1. In ulceribus *simplicibus callosis* optime se commendat famosum *emplastrum Norimbergense*, solo enim illo occallescentia talis interdum aufertur, sed opus est continuatione.
2. Prodest etiam *oleum laterinum* cum *oleo ovorum* remixtum. Postea res perficitur *emplastro styptico Crollii* vel *Paracelsi*.
3. *Unguentum digestivum*, quando majore *mellis* quantitate imbuitur, satis utile est ad viscosam occallescentiam resolvendam.
4. A fortioribus *septicis corrosivis* abstinendum, nisi quidem malum admodum sit rebelle, quo casu reliquum ulceris *turunda* quadam expletur, vel unguento quodam leniente defenditur, ne corrosivum in totum ulcus diffundere se possit.
5. Corruptio *specificæ* e. g. *venerea*, quando adest, exposcit legitimam sui tractationem.
6. Ceterum eadem cautelæ hic observandæ sunt, quas tabula præcedente exhibuimus.

TAP.